



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Sacra-||mento Evcharistiae,|| contra Oecolampadium,
opusculum:||**

Clicthove, Josse

Coloniae, 1527

VD16 C 4208

Q[uo]d ad complendam Chri[sti] promissione[m], quasi nobiscu[m]
futu[m] dixit usq[ue] ad consummatione[m] seculi & ad synceriores
ipsius in spiritu adoratione[m] faciend[a], corpus eius in ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-30220

DESACRAMENTO.

7 in ecclesia, etiam hostia excellentissima pro grata
 rum actione: quæ hostiæ veteri consimilis denomi
 nationis, tanquam figuræ ueritas succedat. ¶ Por
 ro quæ circa hunc libri sui locum: continentem,
 eam (quæ modo diluta est) obiectionem, subiicit
 aduersarius, satis longo uerborum contextu: errorum
 & impietatis sunt refertissima, atq; ex Lutherana
 officina deprompta, eorum tendentia: quod non sit
 cuiquam agenda de peccatis commissis satisfactio
 quoniam (ut ait) Christus in cruce pro omnibus sa
 tisfecit. Quæ improba assertio: a nobis (ut cunque
 potuimus) in tertio Antiutheri libro, capite deci
 mo quinto est elisa ac conuulsa. Proinde præter
 missis illis, tanquam indignis quæ recenseri debe
 ant: ad alia progrediamur eliminanda & discutienda.
 ¶ Quod ad cõplendâ Christi promissionē,
 qua se nobiscum futuram dixit usq; ad consum
 mationē seculi: & ad syncæriore ipsius in spi
 ritu adorationē faciendâ, corpus eius in eu
 chatistia recte adesse asseritur. Cap. X.

¶ **D** Ecimaq; aduersarij obiectio. Ad
 ducitur a nonnullis & alia ratio: ob
 jicitur corpus Christi in eucharis
 tia præses esse. s. ut compleatur eius
 promissio: qua dicit se futurum nobiscum
 usq; ad consummationē seculi: & ita non parum con
 solationis relictum orphanis: scientibus sibi assiste
 re regem & protectorem omnipotentem. Sed & hæc
 ratio: friuola est & uana. Nam Christus se futurum
 promisit nobiscum, uirtute sua inuisibili atq; gra
 tia, spiritusq; efficacia: non corpore. Quæ admodum
 ubi duo uel tres congregati fuerint in nomine eius
 se in medio eorum fore dixit, non corpus suum

Mat. 28.

Mat. 18.

neq; corpore se illis comite futurę promisit. Quid igitur monstratis (inqt) sacramentū: ubi nō plus de Christo oculus q̄ cæcus uideat? Sacramentū monstrari potest: Christus nō monstratur. Sacramentū suo fungitur officio: etiā si corpus Christi solum sit in cælo. Hæc Oecolāpadius. ¶ Responso Admittitur inter cæteras & illa ratio præsentia corporalis Christi in eucharistia: q̄ affert hæc obiectio, ut. s. illa Christi promissio, de futura nobiscū ad finē usq; seculi, eius pmanentia: cōpleatur. Nā & hanc assignat Urbanus quartus, & recēset Clemens quintus in constitutionum suarę libro tertio titulo de reliquijs & ueneratione sanctorę, cap. si dominum. his uerbis. Alia, quorę memoriā agimus: spiritu menteq; complectimur, sed non propter hoc realē eorę præsentiam obtinemus. In hac uero sacramentali Christi cōmemoratione: Iesus Christus sub alia quidem forma, in propria uero substantia est nobiscum. Ascensurus enim in cælum: dixit apostolis & eorum sequacibus. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus: usq; ad consummationem seculi. Benigna ipsos conuolatione confortans: q̄ remaneret & esset cum eis etiam præsentia corporali. Hæc ibi. Neq; promissio illa recte acciperetur de Christi præsentia solum secū dum uirtutem diuinitatis, atq; efficaciam gratiæ & uirtutis: ut prætendit hic obiectans, Nam & eo modo, etiam præsens fuit dei filius antiquis patribus in lege Mosaica: & ambulauit in medio eorę ut promiserat. Atqui nouæ legis dignitas supra ueterem, exigit excellentiorē quandam & perfectiorē præsentiam Christi perpetuam cum dilecta sua sponsa: q̄ ante eius in caruem aduentum habuerat cum synagoga Hebræorum. Et hæc est præsen-

Urbanus
quartus.

Math. 28

Leuiti. 26

DE SACRAMENTO.

Matth. 18.

tia eius corporalis in eucharistia: quæ suis discipulis
 or interdum Christum congregatis in nomine suo
 adesse solum secundum spiritum: & in medio eorum
 esse per efficaciam auxilij duntaxat & directionis
 ut cum illic non adest modo sacramentali, & in eu-
 charistia. Nihilominus secus nunquam deest presentis eius
 corporalis, ecclesie sanctæ: ubicumque aut consecra-
 tur sancta eucharistia, aut asseruatur recondita.
 Et hæc presentia Christi secundum corporis substan-
 tiam, longe est sublimior & completior: quæ ea sacratis-
 simæ humanitatis eius presentia, quæ secundum solam
 est uirtutis eius efficaciam & uigorẽ. Quæ ad mo-
 dum rex terrenus etsi per omnem regni sui ambitum dica-
 tur autoritate regia & maiestate præsens quoni-
 am in omnibus & singulis regni sui locis habet dominatus
 & principatus potestatem: longe tamen uerius &
 integrius est præsens in ea regni sui urbe, in qua
 suam exhibet corporalem presentiam, cum duplici
 modo illic assit: & potestate, scilicet & corpore. In alijs autem
 sui regni locis a quibus abest corpore, uno tantum
 modo adest: potentatus scilicet autoritate. Porro
 alienum penitus a ueritate est: quod in hac obie-
 ctione subiicitur ab aduersario, utpote non plus ce-
 Christo in sacramento uidere oculatum: quam cæ-
 cus uideat. Nam oculis præditus exteriores intue-
 tur eucharistie species: sub quibus tanquam taber-
 naculo suo candido uere continetur Christus licet
 in sue substantia sit illic inuisibilis. Et hæc species
 sensibiles, certam habent & non mediocrem ha-
 bitudinem, ad Christum sub eis delitescentem: tan-
 quam signa ad suum signatum, & tanquam operi-
 mentum regis gloriæ ad ipsum cæli regem: quod
 demonstrat eum illic corporaliter adesse, adminicu-

De Chri-
 sto in sacra-
 mento plus
 oculatum
 quæ cæcum
 cõspicere.

lante fidei lumine. Cæcus uero & q̄ oculis captus
 est, tale umbraculū & integumentum regis æter-
 ni non conspicatur: neq̄ per illius contuitum iduci-
 tur in cognitionem p̄ntiæ ipsius corporalis, & ado-
 rōnem eiusdem. Multo igitur p̄ius de Christo p̄ sa-
 cramentum eucharistiæ uidet oculatus: q̄ oculorū
 p̄sidio & functiōe destitutus. Quem admodum
 quispiam purpurā regis (qua totus ipse rex ita ob-
 uolutus est: ut nulla pars corporis eius, oculis alie-
 nis pateat) plus uidet de rege, q̄ alius non cernens
 illam purpuram. Nam purpura illa, index est præ-
 sentiæ regis: contuentibus eam. Et q̄uis non mon-
 stratur illic Christus in propria sua substantia, se-
 cundum quam mortalibus ibi est inuisibilis: mon-
 stratur tamen in specie exteriori & uisibili eucha-
 ristia, sub qua est p̄sens. sicut rex omnino obte-
 ctus purpura: ostenditur in suo amictu extrinse-
 co. quare concedendum est ingenue, Christum il-
 lic monstrari: quod t̄n aduersarius in hac negat ob-
 iectione. Falsum est etiam: quod in p̄senti cauil-
 latione subditur. sacramentū s. eucharistiæ suo fun-
 gi officio: etiamsi corpus Christi solum sit in cælo.
 Nam officium sacramenti eucharistiæ est, p̄senti-
 am in se Christum continere: & corporalem eius
 p̄sentiā cernentibus illud insinuare. At si cor-
 pus Christi solū esset sc̄dm substantiā in cælo: nō
 contineretur ipsum in eucharistia, neq̄ uere desi-
 gnaretur illic esse p̄sens. Mendax igitur esset il-
 lud signum, & fallens intuentes ipsum, atq̄ in er-
 rorem ducens: neq̄ illud exhibens, ad quod signifi-
 candum est institutum, & ita uanum foret atque
 inane, imo fallax & deceptorium. ¶ Decimasexta » 4
 obiectio. Assignant & aliam rōnem nonnulli, ob »
 quam in eucharistia dicatur esse corpus Christi: ut »
 P

Christum
 in euchar.
 monstrari
 sub aliena
 specie.

DE SACRAMENTO

„ .s. adoretur a fidelibus & debita ueneratione cola-
 „ tur. Ea aut̄ rō: etiam infirma est. Nam non q̄a ado-
 „ ratur, adest: sed quia adesse creditur, adoratur. Pri-
 „ mum igitur probetur adesse: ut deinde iustificetur
 „ adoratio. Imo & nō satis adhuc iustificabitur ado-
 „ ratio: etiā si corpus adesse conuincas. Qui. n. cor-
 „ pus, seorsum cogitat: ut sancta illa uerba dicunt:
 „ hoc est corpus meum: nō implet quod dicit deus:
 Deu. 6 „ Dñm deum tuū adorabis. Neq; soluisse credimus
 Ioan. 4 „ Christum, legem de adorando patre in spiritu: &
 „ adoratorē ad carnem suā transmisisse, a qua semp
 „ reuocauit. Non est igitur sacramento eucharistiæ
 „ impendenda adoratio: cū etiam uiros sanctos deū
 „ hospitem in cordibus suis hñtes, non adoremus.
 „ Sed ea tantum ueneratio, eucharistiæ est exhiben-
 „ da: qualem libris & uerbis sacris impendimus. Ea
 „ uero cōmendanda est adoratio: qua qui hora cele-
 „ brationis mysteriō in terram procidens, adorat
 „ deum, regnantem in cœlis, & ad illum cor suum
 S „ erigit. Hæc Oecolampad. ¶ Responsio. Admitten-
 „ da est inter cæteras & ea causa præsentix corporis
 „ Christi in eucharistia, quam assignāt catholici &
 „ affert hic obiectās: ut illic. s. a nobis suppliciter &
 „ reuerenter adoretur. cum iam sit in præcedente li-
 „ bro ostensum, & ex August. probatum: nos Chri-
 „ sti corpus ibidem adorare debere. Non tamen quia
 „ adoratur: adest: ibi adoratur: ut non sit adoratio, cau-
 „ sa præsentix corporis Christi: sed contra, præsen-
 „ tia eius, causa sit adorationis. Neq; etiam q̄a adesse
 „ inibi creditur corpus Christi: adoratur. sed quoni-
 „ am adest & adesse creditur: adoratur illic. Ibidem
 „ autem. s. in eucharistia consecrata adesse sanctum
 „ eius corpus: totus liber præcedens multimodis o-

stendit, neq; ampliore ad hoc opus est comprobatione. Catero non adoratur illic corpus Christi, cogitatione separatū a uerbo: ut subinsinuat hic Oecolampadius, sed ut ipsi uerbo indiuidue inseparabiliter unitum. Neq; in ipsis domini nostri uerbis, hoc est corpus meum, demonstratur aut nominatur corpus ipsius: a diuinitate notione mētis seiunctum, sed indiuisum ab ea, & in unam unitam Christi personam. Quis enim solum corpus ibidem nominatim exprimitur: consequo tamē quodam naturali & animam secum trahit qua sit uiuens, & sanguinem quo integretur, & ipsam deitatem: sacro corpori indiuidua facietate unitā. Est enim corpus illud: caro uerbi uiuifica. Quare adorās sanctum illud corpus in eucharistia: uere & pie deum adorat, cōpletq; consequenter p̄ceptum illud. dñm deum tuum adorabis. Neq; propter huiusmodi corporis adorationem sic factam: soluitur illa lex Christi de adorando patre, in spiritu fit & ueritate. Nam & illa adoratio, etiā in spiritu fit & ueritate: per synceram. s. fidem, q̄ illic p̄sens as sit uerus deus & hō, quamuis in forma sua humana non percipiatur: sed tantum credatur uera cetera adesse. Vñ non transmīsit nos illic Christus ad carnem suam modo sensibili: & secundum distinctionem membrorum nobis apparentem, neq; ad carnem suam deitate spoliatam: quoniam sic auocaremur a spiritu ad carnē. sed nos ipsos direxit ad ueram carnem suam uerbo unitam: & in forma sensibili prorsus illic imperceptibilem, & spū tantum cōprehensibilem. Quo fit ut illa carnis Christi adoratio, uere fiat in spiritu & ueritate: haud minus q̄ eiusdem gloriosae carnis confidentis ad dexteram patris, fit pia & religiosa adoratio.

In Eucharistia corpus Christi adorari ut uerbo unitum.

Deut. 6.

Ioan. 4.

¶ Verum 6
P 2

DE SACRAMENTO

Quid, ad-
rantes eu-
charistiam
dicēdi sunt
adorare.

tū adorantes sanctam eucharistiam, non ipsam pa-
nis substantiam adoramus: quā post peractam con-
secrationem nulla penitus superest, neque species i-
plas panis quæ superstitæ sunt ibidem adoramus: nā
& illæ, omnino creaturæ sunt, quibus non debe-
tur adoratio, sed ipsum Christi corpus sub illis spe-
ciebus uere cōtentum, suppliciter & religiose ado-
ramus. Neque consimile censerī debet iudiciū de ui-
ris sanctis deum habitatorem cordis eorū & hospi-
tem habentibus: & de ipsa eucharistia. Recte si-
dem uiros illos sanctos non adoramus: tum quia ipsis
quantalibet sanctitate conspicuis latia non debe-
tur: sed dulia tantum, aut ob singularem excellen-
tiam, hiperdulia. tum etiam, quia ipsi non sunt signa
ad hoc autore deo instituta: ut in ipsis adoretur de-
us, cū nos præter unquam lateat, neque perspectum satis
sit: an eorū corda inhabitet deus, nec ne? Corpori
uero Christi in eucharistia debetur latia, & ad il-
lud ipsum est instituta eucharistia: ut Christi cor-
pus uere illic præsens nobis representetur & ab om-
nibus rite adoretur. Quo fit ut penitus impium
censerī debeat, nedum falsum: quod in præsentī ob-
iectiōe subnectitur. eam. s. uenerationem tantum
modo deberi sacræ eucharistia. qualis debetur li-
bris & uerbis sacris. Quippe his, ne dulia quidem
honor debet exhiberi: sed duntaxat religiosa quædam
reuerentia ob significatas res sacras uel in eis con-
tetas. Eucharistia uero, quā sanctū sanctorū conti-
net: merito debetur honor latia, cultusque soli Deo
debitus. Neque improbanda est illa adoratio, qua quæ-
tempore celebrationis mysteriorū procidens in ter-
ram: adorat deum regnantem in cælis, dum modo-
simu etiam adoret Christum, in hostia sacra uere
contentum, Sed si hunc eo posteriore modo adora-

Maiore eu-
charistia
quā uer-
bis & lib.
sacris ue-
neratione
deberi.

EVCHARISTIAE. II. 115

re recusauerit: uana est illa eius in terram prostratio, & Christi in caelo regnantis adoratio. Nam infidelitas illa & incredulitas cordis, abnegans honorem deo debitum in altari: adimit omnem fructum salutem: em illi prostrationi & adorationi praedicta.

¶ Hinc impietatis plena dinoscuntur esse. q̄ subiungit hic Oecolamp. Dicant quaso, inquit, quid solus & ociosus in sacrariolo uel in arca Christus faciat: ubi cum mulierculae in primis superstitioni obnoxiae, cereolis demereri credunt: quorum mouet animos nocturnus? & quomodo non semper in promptu reponitur & sanguis: quemadmodum & corpus. Nam ad mouendos animos: non minus energiam habet. Ipse quidem Christus tam panem quam uinum consecrauit, & ritum illum instituit: reservatione uero nequaquam instituit. At quomodo corpus & sanguinem commendauit Christus & a se inuicem discreuit, quae natura non seiunguntur (neque enim uiuit corpus sine sanguine, nec sanguis sine corpore: uiua enim commendauit) manifeste ergo protestatus est in geminis signis esse exemplaria rerum, non res ipsas. Exemplaria autem tam diu suum officium agunt, quam diu rationem habent exemplarium, & nihil sibi timent ab acetositate uel uermiculis, uel putredine uel muribus. Haec ille: Quibus haud difficile fuerit certo ordine respondere. Et in primis non est id dandum aduersario, quod solus sit in sacrariolo, eucharistiae quod ditorio Christus: sed ibidem consistit, multa angelorum spirituum frequentia (ut & in altari: cum sacra celebrantur missae mysteria) stipatus. Neque ociosus est illic. scilicet in sacrario Christus: sed idem quod in caelis agens, cum non sit alius hic & illic, sed unus & idem. Quemadmodum & angeli sancti, custodes hominum seduli; semper uident faciem patris

Ex cap. 13
pri. lib.

DE SACRAMENTO

Mat. 18.

tris qui in caelis, eumque collaudant. Neque est illud
superstitioni, sed pie religiositati & religiosa pieta-
ti ascribendum: quod mulieres cereolis & luminari-
bus illic uenerari Christum studeant, atque in eucha-
ristia colere. Testatur. n. illa cereorum accensio &
oblatio, diuinae eucharistiae facta: synceram earum
fidem, deuotamque mentem in deum. Noctu vero re-
condita in sacrario eucharistiae, & in illa p[re]s[ent]is Chri-
stus: religiosorum uiro[rum] & mulierum mouet animos
ad adorationem sui: qui secundum regulam suam mo-
nasticam aut etiam ecclesiasticam, media nocte sur-

Psal. 118

gunt ad confitendum nomini d[omi]ni in officio matuti-
no. Necnon eorum etiam mouet animos sacrosancta
eucharistia, in altibus sacris reposita: qui nocte in-
tempesta quauis occasione uigilias agentes, syncera
deuotionis affectu feruntur in illius adoratio-
nem: corpore quidem absentes, & sp[iritu] idem p[re]s-
entes.

Quare san-
guis Chri-
sti sub spe-
cie uini no[n]
reseruat[ur]
sicut ho-
stia.

¶ At uero non ita reponitur in prompua-
rio sacro sanguis Christi sub uini specie: sicut san-
ctum eius corpus in hostia sacra. nam propter ef-
fusionis periculum & acoris, cui subiaceret uinum di-
utius asseruatum: non ita comode potest in multis di-
es custodiri sanguis Christi sub forma uini, sicut e-
iusdem corpus sub forma panis: Et cum potissimum
seruetur sancta eucharistia, ut deferatur ad infir-
mos, communionem sacram petentes ante exitum a uita
praesente: & illi communionem accipere non debeant
ex recta & laudabili ordinatione ecclesiae, nisi sub
specie panis: patet admodum conduceret illa sacri san-
guinis sub specie uini conseruatio diuturna. Neque
ad mouendos animos uere fidelium in memori-
am passionis Christi: necessaria est illa uini sacri ser-
uatio. Nam fidei catholicae documentis rite insti-
tuti: firmiter credunt, sub specie panis etiam uerum

Christi sanguinem, imo & totum Christum contineri. Ex qua solida fidei basi, penitus evertitur totum illud machinamentum captiosum: quod hic concinnat Oecolampad. Nempe quis quantum ad signa, discreuerit Christus corpus & sanguinem suum & illud sub pane, hunc uero sub uino praesertim commendauerit, ut repraesentaretur effusio preciosi sui sanguinis a corpore proprio, in hora acerbae passionis facta. quod tamen attinet ad rem signatam, illa non discreuit: sed & una commendauit. atque ad inuicem coniunxit. Nempe sub specie panis commendauit suum corpus: etiam sanguini illic coniunctum. & sub specie uini suum commendauit sanguinem: non quidem separatim illic a corpore, sed eisdem uere coniunctum. Quocirca non sunt in hoc eucharistiae mysterio panis & uinum duntaxat exemplaria & figurarum rerum: ut hic colligit Oecolampadi. & perperam. sed sub illorum speciebus uere continentur res ipsae, corpus. s. & sanguis Christi.

Sub specie panis, etiam sanguine: & sub uini forma Christi corpus contineri.

¶ Ad amplificandam Christi gloriam, testificandamque eius in nos beneficentiam & exemplum amoris, id pertinere, quod corpus Christi uere credatur esse in eucharistia. Ca. XI.

Decima septima aduersarij obiectio. Contendunt quidam: gloriam Christi auctum iri fide nostra: si omnes in pane corporaliter credamus corpus, propter uerba quae dixit: hoc est corpus meum. Sed timendum nobis, inquit, est: ne fidem uocemus errorem & falsitatem, aut eam opinionem qua reluctate mente & dissentiente, proferimus ore, nos credere, ibi esse corpus; aut duplici corde & abinuitate

”
”
”
”
” Mat. 26
”
”
”
”
”